

1765

ASCETICI.

1766

VIII. fol. 127. *Hec est Epistola Beati Bernhardi ad parentes suos.* Non est, ut dixi *Vol. I. P. 1. col. 1143.* Init: *Sola causa qua liceat parentibus non obedire Deus est &c.*

IX. fol. 128. *Incipit ortus et decursus ordinis carthusiensis. Editus a magistro henrico Calcar.* Vir hic ita dictus ab oppido natali in Ducatu Cliviae, cognomine Aeger, de quo tradunt *Tribemius in Scriptt. Eccl. n. 666.* et in *Scriptt. Germ. n. 130. Arn. Bostius de illustr. Carthuf. c. 12.* et *Theod. Petrejus in Bibl. Carth. p. 131.* Theologus *Parif.* et *Canonicus Colon.* aetatis a. 37. *Carthufiam ingressus, Praefecturis multis gestis, obiit Coloniae 1408.* Praefens ejus *Scriptum incipit: In christo ihesu nouerint qui uelint pie ortum et decursum a trecentis annis et quatuordecim haecenus annis ordinis Carthusiensium &c.* et finit: *loquor coram deo, non esse in ecclesia dei saniores, longeuiores, leciores in christo et conscientia, aut quieciores in corpore et anima, quam sint dei dono suo modo pauperes carthusiensis. Benedictus sit ergo ille, qui eis benedixit &c.* Exemplo sint ipsi *Nicolaus supra dictus Gemnicensis, qui ad 100. et Henricus praefens, qui ad 80. annos peruenit.* *Historiolam ejus a nullo Ordinis Alumno haecenus ad prelum promotam inde putem, quod quibusdam aliis Sodalitiis religiosis displicere possit, praecipue Eremitis D. Pauli, quorum originem ad Fratricellos seu Fratres de*

paupere Vita filvicolas refert. Interim *Monachus quidam majoris Carthusiae similem Relationem ab a. 1082. ad a. 1409. pertexuit, cui plura Calcariensis nostri inferuit. Legitur illa Vett. Scriptor. et Monum. Martenii T. VI. Parif. 1729. col. 151. f.*

X. fol. 137. *Epistola beati Augustini episcopi que uocatur speculum mortis vel peccatoris.* Initium: *Quoniam karissimi in uia huius uite (al. seculi) fugientis sumus &c.* Spuria, ut edit. *Opp. Maur. T. VI. Append. col. 155.*

XI. fol. 140. *Incipit Augustinus de triplici habitaculo mundi.* Ita: *Tria sunt sub omnipotentis dei manu habitacula &c.* Non fincerius praecedente, eique eodem loco *col. 159.* statim subjunctum.

DCCXXXV.

|| Codex membraneus lat. Sec. R. 1536 XV. Foll. 117. f. min. nitidissime exaratus, majorem insuper commendationem a speciosissimis, quibus ornatus est, Piaturis meretur. Nam praeter IV. Frontes Librorum, quae paginas integras occupant, plurimorum Articulorum Initia uividissimum Schema five campestre, five architectonicum, materiae tractandae congruens, exhibent, in quo inuentionis ingenium cum imitatione antiquorum Artis operum et penicilli illecebris certat. Atque, ut specimen dem, Frons prima Codicis Monumentum elegans repraesentat, cujus summo Virtutes stolatae, suis adtributis insignes Caritas, Spes,

Spes, Fides insunt teetum rotundum manibus sublime sustinentes. Subter Columba candida stans adparentibus utrinque Fortitudine, Prudentia, Justitia et Temperantia suis quaque insignibus noscenda. Infra Columbam basis geminum opus ἀναγλυφον continet, superius quidem Cadaver in feretro Clero, populoque circumfusum, inferius Hominem thalamo compositum obversantibus ei 7. Stellis, et totidem viris eminus stantibus. Et prius quidem Defunctum *Parisiis* e feretro damnationem suam proclamantem, quo ostento D. Bruno motus Eremum petierit, interpretor, quamvis ostentum istud maxime a J. Launojo impugnatum fuerit, alterum Somnium Hugonis Ep. Gratianopolitani, quo, antequam Bruno cum 6. Sociis ad se accessisset, sibi visus est videre 7. Stellas ante se prociduas. Atque ex his jam liquet, ad *Carthusianos* Codicem pertinere, id quod convalescit e fol. 7. p. 2. ubi citatur Liber de *vita christi domni Ordulphi* (Ludolphi) *monachi ordinis nostri carthusiensis*. Videmus *Carthusianum*; Italum probabo. Fol. 8. inter libros legendos commendantur *Opera Vgonis Pancere*; at is Frater laicus O. M. fuit, et XIII. Tractatus asceticos italice scripsit *Florentiae* 1492. typis editos. Fol. praeced. p. 2. de linguae latinae ignaris Fratribus dicitur: *Quoadusque addiscant, materna lingua libros conscriptos legant, ut sunt Mons uirtutum, Mons contemplationis et similia Opuscula.*

Haec ego quidem non vidi, interim vix dubium, esse talia, qualia *Antonii Senens. Monte santo di Dio*, item *Monte d' Orazione &c. Fol. 18.* ubi de *Carthusianorum* Vestimentis res est, memorantur *Vardacorium* et *Stafae*, primum dialecto *Veneta* pro *Guardacuore*, id est, Thorace protegendo pectori, alterum pro genere calceorum *senza peduli*, ut exponit *Vocabularium della Crusca* dictum. His jam pensatis suspicari liceat, Autorem Operis esse F. Johannem de Deo Domus S. *Andreae de Litore Venetiis* alumnus, de cujus piis Opusculis a *Nic. Jensonio* sub *Typographiae* exordia eleganter ibidem excusis plura dixi in *Suffragio pro Job. de Spira primo Venetiar. Typographo*. Referunt illa etiam *Tribemius* in *Scriptt. eccl. n. 905.* et *Petreji Bibl. Carthusiana*, et quamvis de praesenti, fortasse, quod typis vulgatum nunquam fuit, taceant, addunt tamen, Johannem varia alia conscripsisse. Cujus vero tandem generis Opus istud? Asceticum est, nullo titulo generali insignitum, constans III. *Libris*, quorum I. per allegoriam *Columbae* 7. Virtutes in prima *Icone* supra depictas explicat, II. per allegoriam *Pulli asini*, quo veetus est Christus, *Carthusianorum* ordinem diurnum in exercitia mentis et corporis tributum exponit, III. *Contemplationum* materiam praecipue e *Vita Christi* subpeditat, admixtis etiam passim *Precum* formulis. Prologi *Libri* I. initium est: *Vohui idcirco filij dilectissimi*
san-

1769

A S C E T I C I.

1770

sanctarum uirtutum dignitatem in similitudine unius simplicissima candidissimeque columbe disponere, ut uos ad eandem formam animam uestram dirigere studeatis. &c. Extrema Libri III. Deinde donec finem rei (Ascensionis Christi) aspiciere potuerunt: Exultabant plorantes: cantabant. Totum ad formandos Ordinis Tirones dirigitur. Illud inditum non praeteribo, fol. 7. commendari: Opuscula cuiusdam nostri monachi, quorum primum incipit: Qui sequitur me, et rursus fol. 25. p. 2. Opusculum monachi nostri, quod incipit: Qui sequitur me. Quid igitur Monachi hujus nomen tacet Scriptor? An Thomam de Kempis Carthusianum habuit? An aliud Opusculum ab eisdem uerbis incipit?

DCCXXXVI.

R. 3115 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 47. 4. nitide per scriptus, rubricis distinctus, et olim *Monasterij sancte dorothee in wienna*, pro quo et exaratus uidetur, ita insignitur: *Incipiunt constitutiones domini Benedicti pape de uita Canonorum regularium.* Est is *Benedictus XII.* sollicitus claustralis Disciplinae exactor, qui *Auenione Idus Maji* anno Pont. quinto, uidelicet 1339. has Constitutiones dedit. Earum initium: *Ad decorem ecclesie sponse dei et sanctarum religionum in ea fundatarum &c.* Ad calcem minio: *Expliciunt constitutiones Domini Benedicti pape De uita Ca-*

nonorum regularium militantium sub Regula Beati Augustini ypponensis episcopi finite Anno Domini Millesimo Quadringentesimo nono in Die Sanctorum martirum Sergij et Bachi. In Elencho sequenti 46. Capitulis distinguuntur. Alia diuisio est in *Car. Cocquelinii Bullario T. III. P. 2. p. 264.*

DCCXXXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. U. 744 XV. Folior. 179. f. per duas columnas exaratus et minio distinctus inscribitur: *Expositio regule Beati Augustini episcopi secundum fratrem humbertum Magistrum ordinis predicatorum.* Quintus fuit in serie Vir hic magnae autoritatis et Scriptis notus, quorum *Varia jam Vol. I.* retulimus. Praefens bene distinguendum ab *Expositione Constitutionum Ordinis sui*, cuius etiam Liturgica digessit, constat *Capp. XCVIII.* et incipit: *Cogitanti mihi de sermone qui exijt inter fratres &c.* finit uero: *se totam regulam implese et ad amplius non teneri.* Ubi subditur: *Explicit liber. Anno Ab incarnatione Domini. M. CCCC. VIII. finitum.* Editiones referuntur in *Scriptt. Ord. Praed. T. I. p. 145.* Obijt *Humbertus* a. 1254. Index *Capp.* Codici adiectus a *Cap. 80.* auulsus est.

DCCXXXVIII.